

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

Caput XXXVIII. De arrhis virginum.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

se maculaverunt. » Et illa : « Quid autem facient quæ hoc neglexerunt ? » Respondit : « Pœnitentia et confessione se abluant, et in magna delectatione et gaudio cum his quæ puræ Virgines sunt societatem habebunt ; sed illas internas et superaffluentes delicias quas torrens meæ divinitatis influit, sentire non possunt. »

## CAPUT XXXVIII.

## DE ARRHIS VIRGINUM.

APPARUIT etiam ei vice quadam Virginum Regina aureo circumamicta pallio, habens columbas rubeas intertextas, quarum binæ binæque ad invicem erant conversæ, ac intra ora sua viride gestabant lilium. Per aureum amictum intellexit notari amorem ferventissimum Dei, quo beata Virgo Maria super omnes flagrat; per rubeas columbas, invictam et columbinam patientiam quam in omni exhibuit adversitate. Per lilium vero, placitissimum ac nobilissimum fructum virtutum operumque suorum. Habebat etiam ad amictum suum zōnam auream, de cuius medio pendebant annuli aurei sigillatim singuli catenis appensi ad invicem, qui omnes habebant gemmas rubeas ad terram versas. Per annulos significabantur arrhæ sponsales omnium Virginum Deo castitatis voto copulatarum. Qui idcirco appensi erant zonæ Matris Domini, quoniam ipsa benignissima Virgo arrhas omnium Virginum sibi devote famulantium, materna conservat diligentia, ob amorem Filii sui; et in hora egressionis earum de hoc sæculo, in conspectu Domini cuilibet arrham suam immaculatam resignat. Per gemmas vero rubeas notabatur, quod ipse Rex gloriæ, Jesus Christus,

Virgines  
Maria  
conservat.